Faltyński Joan. Stanislaus Sacrum Apollinaris cytharae melos in cunis vagienti Christo decantatum.

SACRVM
APOLLINARIS CITHARÆ
MELOS,
In Cunis vagienti
CHRISTO
VERO DEO ET HOMINI,

DVM

Publico, ob eius auspicatissimum Natalitiorum diem, Orbis Christianus exultat gaudio,

IN

Argumentum debitæ pietatis, & insignis lætitiæ, Solenni voto & applausu,

Per

M. IOANNEM STANISLAVM FOLTYNSKI
Cant: Philosoph: Doctorem & Professorem, Contubernij Gelaniani Seniorem

DECANTATVM.

Anno reparatæ salutis humanæ 1667. Ipsis verò sacris Natalitiorum CHRISTI Domini Ferijs.

CRACOVIÆ,
Ex Typographia Stanislai Piotrkowczyk, Sac. Reg. Mai. Typographi,.

Ecce in hoc paruo terræ foramine, cælorum Conditor natus est; hîc inuolutus est pannis, hîc visus à Pastoribus, hîc demonstratus à stella, hîc adoratus à Magis

S. Hieronymus.

O beata infantia, per quã nostri generis vita, est reparata! ô gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus euasimus! ô felices panni, quibus peccatorum sordes



extersimus! præsepe splendidum, in quo non solùm jacuit fœnum animalium sed cibus inventus est Angelorum.

S. Augustinus Serm: 3. de Natiuitate.

Aspice quisquis amas, visenda palatia Cræsi;
Quam careat nitidis, sedibus ipse Deus.
Pauperibus natum, Mater castissima, pannis,
Iustitiæ Solem, fasciolisque ligat.
Qui terras latè, nitidum qui vestit Olympum;
Nudus sub vili tegmine, vagit Amor.
Prodigus effudit Deus omnia, factus egenus;
Scilicet, vt tanto ditior esset homo.

Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. ADAMO MŁYNKIEWICZ,

Collegæ Majori, S. T. P. Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Decano, Scholastico Kurzeloviensi, Curato Zielonecen: Contubernij Gelaniani Prouisori, &c.

Domino & Patrono fauentissimo.



Oua, & ante hoc tempus inaudita, Orbis Vniuersus concepit gaudia, Clarissime & Admodum Reuerende Domine, *dum lucidissimi Syderis, quod à tot sæculis, tam in detentos Vmbris mortalibus manes; quam in Vniuersum genus humanum, desideratissimos expectatæ Salutis, non deriuabat radios, conspectum in Cælo Virgineo lumen adorauit. Non enim unquam candor lucis æternæ, Veraq; luminis de lumine, diuinitatis progenies, tantos generi mortalium afflicto, ac proinde squalore nimio inuoluto, attulisset dedissetq; lætitiæ fructus; nisi illam Sanctissima Virgo, vti humani generis amans, cælitus in suum maternum delapsam gremium suscepisset. Quod non alia ratione, illam fecisse constat; quàm, vt in homine DEVS: in terris Dominus: in cælis Sol Iustitiæ agnosceretur. Attollit profectò mentium humanarum, incredibili felicitate, dilatatq; Sinus, ingens hæc orbis Christiani lætitia; cum lux illa inaccessibilis: fit tandem in uili præsepio, accessu facilis: cum ignis ille consumens, non urit ad vindictam; sed inflammat ad dilectionem: cum maiestas illa immensitate sua terribilis, mensuram humanitatis subintrat: cum ad extremum DEVS, & homo, infinitè sibi opposita suauissimo amoris nexu, & consensu, pacisq; æternæ Symbolo vniuntur. At enimuerò, si communis hæc, orbis Vniuersi felicitas, communem omnium meretur, iunctam Venerationi lætitiam; nec mea quoq; tenuis licet, striduloq; cantu minus composita, tanti beneficij ingrata debet esse Cithara; quinimo solem hunc orientem, vnum, solum, infantem quidem; sed fortem ac immortalem Monarcham, Regem, Dominum, naturam immutabilem, sapientiæ mentem, robur cælorum nunquam cessans, æterni Patris interminabilem splendorem: qui hymnos & laudes, qui Angelorum choreas, qui sæcula incessantia constituit, vt læto applausu salutet, ac veneretur, deuoti pectoris obsequio, congruum est. Atq; dum tanto syderi nouiter orienti, gratam grati animi tesseram offert,* Tuum Clarissime & Admodum Reuerende Domine, *adesse sibi exoptat patrocinium; vt eo præsente,*

non aliter, quam Achilles sub Aiacis clypeo, tuta esse; nascentiq; ad reparandam, humani generis innocentiam, Deo & homini, Sacra modulamina, securè atq; grato ad cunas infantiles, prouoluta pietatis concentu, præstare & expedire posßit. Quod sine dubio præstabit, suauitateq; sua infantiles, Christi in cunis vagientis lachrymas, demulcebit; dum sentiet placidissimam sibi adesse Fauonij Tui *benignitatem, qui omnium ad* Te *trahis attrahisq; animos, quiq; ob tot labores boni publici ergò susceptos, insignem honoris, amorisq; literati mereris adoream. Et merito: quis enim non videat; quis non fateatur, dignam Academico pectore dexteritatem, Vigilantiam, constantiam; quas* Tu *Virtutes, à primo statim Academicæ Vitæ instituto, adeò in* Te, *insigni exemplo elucere fecisti, vt post impensam educationi nobilissimæ iuuentutis fidelem diuturnamq; operam: post probatam toties in luce publica, arduisq; negotijs Virtutem: dignus tandem inuentus sis; qui magno Sapientissimorum Virorum Academiæ huius Procerum, iudicio, ad vtriusq; Collegij amplissimam stationem vocari, & in ea debitis virtuti, & doctrinæ* Tuæ *ornamentis, honorari merueris. Grata hic semper excellentibus ingenijs, & primoribus Academiæ nostræ, integerrimi pectoris* Tui *Virtus & sinceritas extitit; ex quibus vel sola in* Te *magni olim & æternâ memoriâ dignissimi Viri* Ioannis Broscii, *cum vniuersa eruditione, tum præcipuè Mathematicis disciplinis, immortalem nominis gloriam, toto orbe promeriti, perpetua illa, & affectus optimi plenissima propensio, insigne esteritq; semper, optimi de* Te *omnium iudicij argumentum. Perspexit intellexitq; benè Vniuersus Academicæ stationis ordo,* Tuam *in rebus omnibus prudentiæ, dexteritatisq; rationem; dum* Tibi *iura, priuilegia, leges, & quidquid fortunarum habet commisit. In quibus defendendis, augendis, promouendis, amplificandis, tot labores, quot causas; tot difficultates, quot negotia, tot incommoda, quot itinera; suscepisti. Suscipiesq; impauidus, magnos quosuis curisq; ingentibus plenos labores, dum sydus hoc, quod nouiter, in integerrimo cæli Virginei sinu, acquieuit, suos diuinos, ac efficaces radios, in penetralia pectoris* Tui *immittet. Addet hic ipse in cunis vagiens paruulus, in cuius manu sunt omnia, longissimos dierum terminos. Conseruabit* Te *Ecclesiæ, Academiæ incolumem, vt earum integritati prouideas. Promouebit candidissimam ætatis* Tuæ *niuem, ad Nestorea victuram sæcula; pectusq; illud, quo* Tu *vt in bonas literas, ita & literatos propēdes, ex quo & in me tot beneficentiæ, & singularis patrocinij argumenta deriuata, cum agnosco; gratitudine & veneratione omni prosequi ea, & in luce publica fateri, æquissimum censeo. Hæc mea vota, mea optata sunt. viue diu, ac meæ Apollinari Citharæ, sacrum melos, soli iustitiæ concinenti, intime faue.*

Clarissimæ & Admodum Reuerendæ
D. V.
deuotus Cliens.

M. Ioannes Stanislavs Foltynski P.D.
& P. Senior Contub. Gelan.

SACRVM
Apollinaris Citharæ Melos.

Linquas profanum Phœbe melos, Tua
Celeusma sacrum promoveat, Lyra;
Prostratus orbis cùm dolorem
Lætitiâ redeunte misit.
Vmbris fugatis lux redijt polo
De nube rupta ros sapidus pluit;
Suaves Hymetto cùm redundant
Nectarei latices saporis.
Iam melle dulci sæcula defluunt,
Manantque rivis aurea flumina;
Iam læta sacrorum caterva
Spirituum, canit hocce Pæan;
Æterna summo gloria sit Deo,
Sit paxque terris, Diaque faustitas
Læteris, ac tandem querelas
Siste graves lachrymosa tellus.
Oliva pacis nuncia fronduit;
Hinc totus orbis prælia sanguinum
Postponat; auditumque cœlis
Tartareæ strepitum ruinæ
Miretur? alto jam quis ab æthere
Certauit Heros? quisue vel excitos
Restinxit ignes impiorum
Suppositos Solio Tonantis.
Quis nam Gygantes Herculeâ manu
Prostrauit audax? Sacrilegum genus
Extinxit, & flammas Chimæræ
Ac Erebi metuenda monstra.
Fugauit? infans: en Leo maximus
Cœleste pignus, Iudaicæ tribus,
Victor, triumphatorque auerni,
Cerbereo graue robur ori.
Fulgens corusco sic puer æthere
Præsepe durum deligit; est sui
Honoris oblitus, stupetque
Terra Deum, stabulo latentem.

Con-

Contemnit aurum ſponte ſua puer,
Ornata gemmis, alta palatia,
Vanumque Cunarum nitorem,
Poſtpoſuit, ſuperum poteſtas.
Non delicatus, balſama quem ferunt
Odor renidet; Perſica lumina
Deſunt; iaſpis nec laborat
Innocuas decorare Cunas.
Eſt ipſe Splendor, luxq; ſibi puer;
Eſt fulgor, ignis, ſydus, & aurei
Inſignis eſt thronus decoris
Eſt Solium Deitatis almæ.
Deſcende Tytan, conde iubar, nihil
Iam lucis orbis noſter eget Tuæ;
Dictinna laſſatum profundo
Æquore merſa relinque currum.
Sol ortus alto pulchior æthere
Stellarum & Orbis Rector Olympici
Igneſcit, auratiſque mundi
Irradiat facibus theatrum;
Lucis carentes munere quem Sacro
Rorate cæli deſuper inuocant
Manes: hic ex altis miſertus
Crimen Adæ reparare, curas
Venit per omnes. Conditor omnium
Egenus, en hic in ſtabulo cubat;
Regeſque Paſtoreſque nudum
Bos Aſinuſque genu ſalutant.
Ach o ſtupendum! pauperies grauat
Extrema Summi progeniem Dei;
En vagit in Cunis, tenellus
Faſcioliſque Devs ligatur.
Iam nunc ſuperbam ponite barbari
Mentem tyranni, purpureus color
Mutetur: & diſtincta palla
Murice ſanguineo recedat:
Cum ſic iacentem conſpicimus Devm;
Cui horret acri ſtramine lectulus:
Faſces, Venuſtates, Trophea
Et celebres procul hinc triumphi;

Et quidquid auro, quidquid & omnibus
Gemmis coruſcat; vana nec amplius
Fortuna ſplendeſcat ſuperbis;
Namque humilis puer alta ſpernit.
En prædicandus Matris ad vbera
Spectatur infans pendulus; en iubar
Cœleſte denudatur, & ſe
Gaza poli pretioſa condit,
Orbis poteſtas, ſummaque gloria,
Humana Carnis vincula cur ſubis?
Vbi illa maieſtas decoris
Et ſimiles vbi ſunt, pareſque,
Faſces honoris? dic vbi regium
Sceptrum, paterni eſt imperij decus?
Dicas vbi Sacrum Tribunal
Quod Cherubin Seraphinq; cingunt?
Ex quo per omnes imperij Tui
Diuina cunctis, iura dabas ſinus
Et iuſſa dictantem paterna,
Ore pio capiebat Orbis.
Sic illa triſtis ſors tulit, vndique
Et preſſit inſons pauperies Devm;
Omnes refocilat quæ egentes,
Ipſa licet propè deſtituta,
Egenſq; rerum. quippe, modeſtiæ
Exemplar orbi prodis, & Icaros
Confundis omnes; turgidoſque
Hâc humili Devs alme ſorte,
Te clara cælo, gentibus vltimis,
Afflata Sacro numine gratiæ,
Mortalis æternum abſque labe,
Virgo parens peperit parentem.
Gaudet Ioſeph, & Simeon ſenex,
Cœleſte Carmen protinus occinit;
In pace dimittique tandem
Voce ſacra modulante poſcit,
Dum tanta lucis gratia cœlicæ
Affulſit orbi, grandeque maximi
Iubar Redemptoris; quod alto
Dulcis amor pietaſque cælo

Deduxit, inter publica gaudia,
Canora psallit dum niueis phalanx
Demissa pennis, gratulantes
Angelicæ Veniuntque turmæ.
Renate nobis IESVLE singulis,
Pacem ferentem carmine debito,
Quis TE sub humana latentem
Ritè DEVM celebret figura?
Nostræ licet sis, nil opis indigens;
Thus, numen, aurum, pignora Principum,
Myrrhamque Regum Rex, Ducum Dux,
Suscipis obsequio fideli.
Dant dona Reges, Regibus imperas;
Dant astra lucem, nubila temperas;
Villana Pastoresque dona
Simplicibus Tua corda pandis.
O expetendum seruitij genus!
Quo nulla Regum vita beatior.
Adesto MŁYNKIEVI ligato
Fasciolis, homini DEOQVE.
Confide, nil TE terreat arduum;
Infantis inter dulcia brachia,
Recumbe felix & beatæ
Adnumeres Tua vota dextræ.
Hæc illa lux est, quæ micat intimo
Ex Corde Patris; quam Tibi cœlitus
Posco fauentem, quæ perenni
Irradiet Tua sæclâ luce.
Non dona poscit, non Arabum graues,
Indique gazas, nec pelago datis
Gemmis coruscantes coronas;
Nec Libycæ pretiosa terræ
Metalla quærit. sufficit Vnica
Medulla Cordis, sufficit intimi
Amoris affectus, DEOQVE
Semper amica boni Voluntas.
Hâc Tu placebis, sæclâque candida,
Viues beatus; quod meritò Tibi
Vouemus applausu; damusque
Vota Sacris geminata Votis.

Trinitati Sanctissimæ, & gloriosissimæ, honor, gloria, & gratia.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0018845

~~Foltyński Joan. Stanisl.~~

~~Sacrum Apollinaris citharae melos in nascenti Christo.~~